



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 289. De bonis traditis in villis Lovos et Tuistina in pago Hessi Saxonico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
879 usque  
890 im-  
perante  
Karolo  
Craffo et      Tradidit beneke pro filio suo alfrico unam familiam in  
uindaan (l)

§. 288.

§. 289.

Tradidit liutberth pro filio suo thiadric unam familiam in  
louos (m)  
tradidit helmburg unam familiam in tuiſtina (n)

§. 290.

De villa  
Burgiun  
in pago  
Agrotin-  
gun.

(k) *Burgiun* locus erat, teste nostro Registro, in pago *Agrotingun* situs. Nullus igitur altius videtur vicus, nisi *Borg* in Emslandia seu in inferiori episcopatu Monasteriensis situs, hic in censum venire.

De villa  
Vindaan  
in pago  
Huueti-  
go.

(l) *Vindaan* villam fuisse in pago *Huetigo*, docet nos abbas noster Saracho in *Registro bonorum abbaticae Corbeiensi*. Indubie ergo designatur vicus *Wenden*, in comitatu Sualenbergico haud procul a monasterio Marienmunster et castro Oldenborg in episcopatu Paderbornensi situs. Cum itaque, in eadem regione posterius Widekindi Magni bona hereditaria tenuisse nouerimus, ut supra vidimus, neminem fore speramus, qui dubiter, *Benekonem* nostrum, qui in eadem villa pro filio suo *Alfrico* quadam donauit, posteris Widekindi M. videri inferendum.

De villa  
Louos in  
pago Hef-  
ni Saxonico.

(m) *Louos* villa ponitur in Registro nostro ab abbe Sarachone in pago *Hessi Saxonico*. Intelligimus ergo, designari villam *Louen*, in episcopatu Paderbornensi inter Peckellen seu Peckelsheim et Ossendorp haud procul a Dimola fluuiio positam. Queritur autem, ad quamnam stirpem spectauerit *Liutberthus* ille, qui obuiam in eadem villa familiam istam Corbeiensibus donauit? Verisimilime, cum stemmati Brunoniano inferendum esse, existimamus. Cum enim iam supra docuerimus, gentem Brunonianam in pago Hessi Saxonico amplissima possedisse prædia, arque in eiusdem gentis familia fuisse *Thiadricum*, nepotem ducis Angariorum Brunonis, ut patet e tabula gentis Brunonianæ §. 104; ideo *Liutberthus* noscitur probabiliter fuisse filius *Thiadrici* illius ac frater *Folberti*. Nomen enim, a patre petitum, filio suo indidisse videtur *Liutberthus*. Fortasse eius patruus fuit ille, qui supra §. 147. appellatur *Liutheri*. At continemus nos intra coniecturarum cancellos.

De villa  
Tuiſtina  
in pago  
Hessi Sa-  
xonico,

(n) *Helmburg* vel foror vel vxor fuisse videtur *Liutberthi*, qui sita intra Louos villam quædam tradiderat. *Tuiſtina* enim villam in eodem fuisse pago *Hessi Saxonico*, testis est abbas Saracho. Cum itaque *Tuiſtina* villa eadem fuerit, ac ea, in qua *Liutheri*, testante §. 147, quædam donauerat; *Liutberthi* illum eam ob rem fuscipati sumus consanguineum fuisse *Liutberthi*. Ad eamdem villam illustrandam ibi diplomata quædam produximus, quibus iam Caroli IV litteras, ex autographo accurate descriptas, addimus. Has ita conformatas accipe.

*Karolus* dei gratia Romanorum rex semper augustus et Bohemie rex venerabili *Theodorico* abbatii corbeiensi principi et deuoto nrō dilecto gratiam regiam et omne bonum. Quia sicut certa relatione didicimus, monasterium *corbeiense* ex suggestione maleuola temporum personarumq., timore dei post posito, ipsi monasterio non timuerunt multipliciter derogare de temporalib⁹, adeo collapsum conspicitur, quod vix aut nullo modo restaurari et in pristine sue felicitatis statum restituiri valeat absq;. maiestatis regie gratia et pñsidio speciali. Nos igitur attendentes sincere deuotionis affectum, quem illustris *Johannes Bohemie* rex genitor noster karissimus ad te tamquam specialem deuotum ipsius